



SECTIO SECUNDA. De Terræ Motu.

§. XXV.

Terræ motus est regionis, aut loci cujusciam tremor, inclinatio, sive concussio, vi cujus ædificia contremiscunt, nutant, impelluntur, & quandoq; penitus collabuntur.

§. XXVI.

Ex data definitione fluit, tres præcipue motionis terræ esse species, tremorem scilicet, inclinationem, ac concussionem. Tremor est, quum terra repetitis sæpe vicibus quaquaversum mota quasi trepidat. Inclinatio est, quum terra navigij instar in unam, aut alteram partem vacillat. Concussio deniq;, seu pulsus est, quum semel, aut sæpius terra sursum vi maxima impellitur, ac impulsa rursus deorsum labitur.

§. XXVII.

Dari non nunquam ejusmodi telluris motus paucis abhinc annis nostra senserat ætas. Lisabonæ siquidem anno 1755. die primo Novembris subito terræ tremor exoriebatur, qui tamen post elapsa duo minuta iterum substitit. Sed eheu! paulo post & ad alteram vicem usque terra tam validis agitata est concussionibus, ut plurima ædificia diruta, & aliquot hominum millia sub ruinis fuerint conssepulta. Quin imo motus terræ ad nostras usq; plagas postmodum serpsit, in quibus tecta, domosq;, ac præsertim nostris in Vineis turres cum templo, ac Monasterium quodammodo nutasse fumus experti.

§. XXIIIX.